# INTERPRETATIO H

LOCI EXOD. XX.

QVI

# VULGO COMMVNIS

---

*DISPVTATIO EXEGETICO-*

QVAM

PRAESID

# MICHAELE W

SS. THEOL. DOCTORE HVIVSQV

BLICO ORDINARIO ALVMNORV

EPHORO PRAECEPTORE AC

PERSANCTE COLE

*IN AVDITORIO M*

AD D. II. DECEMBR. C

PVBLICE DEFEND

AVCTOR

SAMVEL GOTTLOB

LL. A. M. ET REV. MIN. CAND. SOCIETATI PHIL

---

VITEMBERGAE

LITTERIS TZSCHIED

IO HISTORICA

D. XX. 5, 6.

I

VNIS HABETVR

*ETICO - THEOLOGICA*

A M

SIDE

E WEBERO

VIVSQVE PROFESSORE PV-

MNORVM ELECTORALIVM

RE AC PATRONO SVO

E COLENDO

*RIO MAIORI*

IBR. CIↃIↃCCXC.

DEFENDET

TOR

LOB WEGNER

TATI PHILOBIBLICAE ADSCRIPTVS.

ERGAE,

SCHIEDRICHII.

45

SENATVS IN SAXONIA SACRA SVMMI

# PRAESIDI

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

CAETERISQVE

# CONSILIARIIS ET ASSESSORIBVS

MAGNIFICIS SVMME VENERANDIS ILLVSTRIBVS AMPLISSIMIS

# DOMINIS AC PATRONIS

MAXIMIS

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

# VIRI
## ILLVSTRISSIME
## MAGNIFICI SVMME VENERANDI
### ILLVSTRES EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI
### PATRONI SVMMA PIETATE SVSPICIENDI

Quod hasce litteras ad VOS dare ſuſtineam, id non beneficii expetendi, aut benivolentiae captandae, ſed pietatis gratique pro acceptis, iisque ſummis, beneficiis animi teſtificandi cauſſa fieri, ſanctiſſime affirmo, et res ipſa loquitur. Inſigni enim VESTRO in me favore contigit, ut Electorali non modo ornarer beneficio, ſed acceſſione etiam adjuvarer ita, ut vitam in hac Academia commodiorem litteriſque plane dicatam degerem. Neque celebrare ſatis poſſum benivolentiam VESTRAM plane ſingularem, qua mihi nu-



perrime

perrime aditum parastis ad examen publicum, meosque in disciplinis sanctioribus profectus qualescunque VESTRO comprobastis judicio, tam gravissimo, quam honorificentissimo. Quamobrem libellum hunc academicum, VESTRIS auspiciis conscriptum, VOBIS dicare non vereor, sperans, fore, ut primum hoc specimen leniter judicetis exiguumque grati monimentum animi haud indigne feratis. Deum vero Ter Optimum Maximum omni pietate quovis tempore venerabor, ut VOS GENTESQVE VESTRAS SPLENDIDISSIMAS omni felicitatis genere cumulet, vitam salutemque VESTRAM Saxoniae, litteris, Ecclesiae servet, secundet, sospitet. His enim omnium bonorum votis sincera accedit mente

VESTRIS

NOMINIBVS SANCTISSIMIS

addictissimus cliens

SAMVEL GOTTLOB WEGNER

LL. A. M. ET REV. MIN. CAND.

# INTERPRETATIO HISTORICA

## LOCI EXOD. XX. 5, 6.

QVI

## VULGO COMMVNIS HABETVR.

---

Quamquam omnia, quae in ſcripturis divinis tradita leguntur, ad noſtrum uſum litterarum monimentis conſignata ſunt; cavendum tamen eſt, ne in eorum uſu modum excedamus, et ea quoque nobis ſcripta putemus, quae ſcripta nobis non eſſe, perſpicue ſatis intelligi dicerique poteſt. Quod enim niſi diligenter ſervemus; neceſſario ſequitur hoc, ut ſperemus bona, quae promiſſa nobis non ſint, ut metuamus mala, quae denunciata nobis non ſint, ut facere conemur, quae

facienda

facienda nobis non ſint, vt patiamur, quae patienda nobis non ſint, ſanctiſſimamque Dei religionem noſtra judicandi agendique ratione ludibrio adverſariorum ac deriſui profanorum exponamus. Quemadmodum locos vere communes non licet pro peculiaribus habere ac certis hominibus, vel ſingulis, vel pluribus, propriis, quo in genere multi noſtrorum hominum peccant: ita locos non communes, ſed peculiares et proprios, communibus adnumerare omnesque homines ſpectantibus, non minus in vitio eſt, quo multi quidem e majoribus laborarunt, et noſtra quoque aetate non pauci.

Magna igitur circumſpectione opus eſt, videndumque diligenter, ne vel ex hac, vel ex illa parte pecces, et, violandis interpretandi legibus, tibi aliisve varia incommoda parias, divinamque religionis auctoritatem deprimas atque adeo tollas. Exempla utriusque modi ſunt in promtu; at commemorare nihil attinet. Placet potius, ſcribendi officio, lubentiſſime ſuſcepto, pro modo facultatum mearum qualicunque, perfungi ſic, ut, de loco, qui ipſis adeo pueris, Decalogi praecepta ediſcentibus, tanquam communis inculcari, et pro concione terrendi atque alliciendi cauſſa auditoribus proponi ſoleat, quid mihi quidem videatur, paucis, at pro inſtituto ſatis declarem, ſpem alens certam, futurum eſſe, ut legentium aequitas ac benignitas me primum facientem ſcribendi periculum patienter ferat, atque errores, ſicubi deprehenſi fuerint, leniter caſtiget. Habet autem ille locus e vulgari vertendi ratione, quam *Dathius* etiam ſecutus eſt, ita:

„*Ego*

*„Ego ſum Ihova, Deus tuus, Deus ſocii impatiens, qui parentum culpam etiam in liberis mei oſoribus ad tertiam et quartam usque generationem punit* (punio); *benignum vero me praebeo mei amantibus et praecepta mea ſervantibus ad milleſimam usque ſtirpem.“*

Hunc igitur locum putant eſſe communem, ita tamen, ut ab aliis ad omnes Iudaeos *), ab aliis vero ad omnes

*) Eodem modo hunc locum intellexit *Illuſtr. Michaelis in der deutſchen Ueberſetzung des A. T. III. Theil, pag. 51.* ubi reddidit: *„Denn ich, Iehova dein Gott, bin ein eiferſüchtiger Gott, der die Sünde der Vaeter an den Kindern bis ins dritte und vierte Glied ſtraft, und an denen, die mich lieben, und meine Gebote halten, bis ins tauſendſte Glied Treue und Liebe beweiſet.“* Iam vero poenam h. l. denunciatam latius definit, eamque fuiſſe ſucceſſivam, argumentis, non quidem e ſacris litteris, ſed e recentioribus Medicorum obſervationibus petitis demonſtrare ſatis dubie ſtudet: *„Daſs nicht von ewigen Strafen jener Welt, ſondern von zeitlichen dieſes Lebens, die Rede ſey, verſtehet ſich von ſelbſt, ſonderlich da ſonſt in Moſis Geſetzen, weil ſie zugleich bürgerliche Geſetze ſeyn ſollten, nie von Strafen jener Welt geredet wird. Auf die Art geſchiehet den Kindern, an denen Gott der Vaeter Sünden ſtraft, nicht unrecht, und doch ihren Vaetern wehe. Denn zeitliches Uebel oder Wohl theilt die Providenz ohnehin nicht immer nach Verdienſten aus, und fürchten die Kinder Gott, ſo wird das zugeſchickte kurze Uebel ihnen ein heilſames Leiden zu ihrem Beſten ſeyn, folgen ſie aber ihren boeſen Vaetern nach, ſo iſt es für ſie eine wohlverdiente Strafe. Ich glaube im übrigen, weil grade das dritte und vierte Glied genannt wird, ſo rede Gott hier von dem Ausſatz, den er ſo oft den Iſraeliten als ſeine Strafe drohet, und den man in Aſien als die beſondre Strafe der Gottheit anſahe. Dieſe Krankheit iſt erblich, allein nicht auf die entfernten Nachkommen, ſondern nur bis auf das vierte Glied, und zwar ſo, daſs die Nachkommen des erſten Ausſaetzigen im vierten Gliede ſelten die ganze Krankheit, ſondern meiſtens nur den übelriechenden Oden als ein Ueberbleibſel von ihr haben. Das dritte Glied des erſten Ausſaetzigen, oder ſein Enkel, pflegt noch den wahren Ausſatz zu erben. Ich weiſs dis aus neuern Beobachtun-*

 gen

omnes homines, etiam christianos, referatur. Vtraque vero quantum noxae attulerit Theologiae ac Religioni christianae, dici vix potest. Alii enim aetatem mundi omnem ex hoc loco definire conati sunt, inhaerentes verbis: *ad millesimam usque generationem*; alii de sorte posterorum vel laeta, vel tristi, majorumque vel probitate vel improbitate cupide ac inepte judicarunt, Deique justitiam, qua ita semper judicat, loquitur et agit, ut plane reprehendi non possit, ad libidinem quandam et crudelitatem depresserunt; alii verbis Dei sic abusi sunt, ut ipsius justitiam minorem fingerent ipsius benignitate, et contra poenarum, post mortem manentium, aeternitatem vehementer declamarent. In horum quidem numero *Bahrdtius* fuit, in famosa ista fidei confessione ita scribens: „Dass Gott *alle* Tugendhafte in einem andern Leben *hoechst* selig machen werde, (omnes? Nonne diversa erunt praemia pro diversitate virtutis? Sed fortasse beatitatem futuram cum felicitate terrestri comparavit, et hactenus summam illam dixit.) glaube ich; dass er aber eben so geneigt sey, die Boesen in alle Ewigkeit zu martern, und dem Teufel zu übergeben, glaube ich nicht. (Cave, ne opiniones vulgi cum doctrina scripturae nostraeque ecclesiae confundas!) Denn er selbst sagt (scilicet in Catechismo minore. Qui doctrinam V. T. spernunt, tamen ea pro caussa sua non dubitant abuti, vel in vulgari versione acquiescentes): Ich bin ein eifriger Gott, der die Missethat der Vaeter heim-

*gen der Aerzte über den Aussatz.*" Vid. Anmerkungen zum zweiten Buch Mose pag. 65.

heimsuchet an den Kindern *bis ins dritte und vierte Glied*; aber denen, die mich lieben und meine Gebote halten, thue ich wohl bis ins *tausende Glied.* Daraus schliesse ich gegen die, welche Gott gern eben so strafgierig, als gütig machen möchten (Quinam sunt illi? Num forte ecclesiae nostrae doctores tales tibimet ipse fingis, ut, more multorum, qui stultos fallere cupiunt, cum umbra pugnare possis? Ergone *necessario punire* et *cupide punire* tibi est unum idemque? Quanta notionum confusio! Necessario Deum punire, affirmamus, cupide punire, negamus.): Wie sich verhaelt 4 gegen 1000: so verhaelt sich Gottes Neigung zu strafen gegen seine Neigung zu belohnen. (Quanto minor igitur est numerus prior posteriore: tanto minor est Dei justitia ejus benignitate. Egregia ratio! Quis unquam dixerit, Dei sanctitatem majorem esse ejus veracitate, omniscientiam sapientia, omnipotentiam benignitate, aeternitatem libertate? Omnes virtutes Dei maximae sunt, pariter necessariae, arctissimo vinculo copulatae. Accedit, quod, si verba illa ad praemia et poenas vitae futurae referenda et adeo premenda essent, praemiorum quoque aeternitas negari deberet.)

Vel ex his paucis perspicuum est, quantam ad opinionum temeritatem delapsi sint homines, loco nostro male usi. Quos in errores similesque nemo videtur incidere posse, qui nostram amplectatur sententiam, illumque locum historice interpretetur ita:

*„Ego sum Ihova, Deus tuus, Deus socii impatiens, qui jam sum in eo, ut puniam progenitorum impietatem, pu-*

 *nienda*

*nienda impietate liberorum, nepotum ac pronepotum; qui vero etiam in eo sum, ut benefaciam pluribus millibus hominum, mei amantium meaque praecepta servantium."* Sed haec interpretatio primum copiosius exponenda, deinde argumentis quoque firmanda est, ut non modo intelligatur, quae sit illa historia, qua mihi videatur niti, verum etiam appareat, me nihil fingere, nihil pro arbitrio statuere, sed interpretandi legibus, huc transferendis, omnino satisfacere velle.

Nimirum liberi, nepotes et pronepotes, quibus Deus poenam denunciat, ex mea quidem sententia, sunt incolae Palaestinae, qui impietatem patrum, avorum et proavorum, h. e. idololatriam cum gravissimis sceleribus conjunctam imitati, ab Israëlitis expulsi atque exstirpati sunt; plura vero millia hominum, Ihovae amantium ejusque praecepta servantium, sunt, ut quidem ego sentio, sexcenta illa millia et mille Israëlitarum, anno aetatis vicesimo majorum armisque ferendis parium cum septingentis et triginta, praeter viginti tria millia Levitarum, qui, Deo duce, terram promissam ingressi sunt. Numer. XXVI, 51 -- 65. coll. XIV, 21 -- 38. Sensus igitur est: Puniam i. e. expellam et exstirpabo e finibus suis Palaestinae incolas propter idololatriam et gravissima scelera, cum illa conjuncta, eoque ipso puniam quoque impietatem progenitorum, patrum, avorum, proavorum; contra vero benefaciam i. e. terram promissam possidendam tradam Israëlitis, meis cultoribus, qui majorum suorum idololatriam atque impietatem non imitentur. Quemadmodum igitur poenam denunciatam non nisi ad solos Palaestinae incolas eosque impios refero, qui e fini-

e finibus suis ejecti sunt ab Israëlitis atque excisi: ita beneficium promissum Israëlitis, iisque piis, proprium esse judico, qui, Deo adjuvante, Palaestinam occuparunt, et possidendam acceperunt.

E vulgari ratione intelligitur poena continuata et successiva, quae a liberis ad nepotes, a nepotibus ad pronepotes usque pertinet, ac diversis temporum intervallis infligitur; e nostra vero intelligitur poena simultanea et complexa, qua Palaestini uno eodemque tempore viventes, diverso respectu, vel liberi, vel nepotes, vel pronepotes, h. e. diverso respectu vel ad secundam, vel ad tertiam, vel ad quartam generationem referendi, uno eodemque tempore simul affecti sunt. E vulgari ratione intelligitur quoque beneficentia continuata et successiva, quae a generatione alia ad aliam, ad millesimam usque, pertinet; e nostra vero intelligitur beneficentia simultanea et complexa, quam experti sunt Israëlitae pii, quorum numerus, ut e loco laudato patet, plura millia continebat, in terram promissam introducti. Quod vero Deus impietatem progenitorum, h. e. patrum, avorum et proavorum se puniturum esse dicit punienda posterorum impietate, id a multis minus recte intelligitur. Quemadmodum progenitores illorum populorum, cum posteri punirentur, vere puniti non sunt, mortui quippe, ac proinde posterorum poenam non experti: ita posterorum poena, vere si rem aestimare velis, non progenitorum, sed sua ipsorum culpa, gravissima facta est. Manet enim verissimum certissimumque, quod Deut. XXIV, 16. legitur, neque posteros propter majorum culpam, neque majores propter posterorum culpam puniri,

niri, Deusque graviter reprehendit aliter sentientes, suamque justitiam laedentes Ezech. XVIII. 20. coll. 1. 2. *Qui*, inquiens, *peccat, is infelix esto. Quemadmodum filium non onerabo poenis, quas pater meritus est: ita patrem non onerabo poenis, quas filius meritus est. Immo in poenis non aliter me gero, quam in praemiis. Quemadmodum virtutis cultorem non propter alienum, sed propter suum virtutis studium, praemiis ornabo: ita etiam peccatorem non propter aliena, sed propter sua peccata poenis afficiam.*" Quid igitur Deus sibi vult illa locutione? Quid est hoc: Puniam progenitorum impietatem punienda posterorum impietate? *Tria* haec locutio comprehendere videtur: impietatem posterorum, majorum impietati similem esse; impietatem posterorum ortam esse ex vitiositate naturae similis atque imitatione majorum perversa; majorum denique impietatem, quamquam tali poena affecta non fuerit, pariter tamen Deo invisam fuisse ac tali poena dignam ideoque cum posterorum impietate quasi simul puniri, ut appareat omnibusque palam fiat, Deum majorum impietatem, quamquam pro sapientia sua et longanimitate impunitam eam tulerit, non minus tamen odio habuisse poenaque dignam judicasse, quam posterorum impietatem. Hoc voluit poena illa, quam Palaestini Israëlitarum interventu perpessi sunt, velut exemplo illustri, testatum facere atque ante omnium quasi oculos ponere.

Haec est historica illa interpretatio, a me promissa, de cujus veritate jam est videndum. Admitti eam *posse*, id quidem, cum nihil contineat absurdi, nihil, quod pugnet cum usu loquendi consilioque dicentis, non difficile est ad docendum. Ac si morem vulgarem sequi vellem,

vellem, facili negotio in eo poſſem acquieſcere. Cum vero boni interpretis ſit, primum quidem videre, an *poſſit*, deinde vero etiam, an *debeat* interpretatio admitti: meum quoque puto, argumenta proferre, quibus interpretationis illius veritas videatur mihi firmanda. Poſſunt autem ad tria revocari genera, quae ſchola *textum*, *contextum* et *analogiam* dicere olim conſuevit.

*Textum* quod attinet; ſpectanda primum ſunt ſingula verba, deinde conſuli debet parallelismus membrorum. Ac in ſingulis quidem verbis animadvertere licet, vulgarem rationem partim temere mutare, partim temere addere; noſtram vero ab utroque vitio immunem eſſe. Mutat illa ſignificatum particulae עַל, quae primo vertitur *in*, poſtea *ad usque* *); noſtra vero conſtanter tenet ſignificatum *in*. Illa vertit verba עַל־בָּנִים, עַל־שִׁלֵּשִׁים, וְעַל־רִבֵּעִים *in* liberis *ad* tertiam et quartam *usque* generationem; noſtra ſic ad verbum: *in* liberis, (i. e. generatione ſecunda), *in* tertiis (i. e. generatione tertia) et in quartis (i. e. generatione quarta), vel, quod idem eſt, *in* liberis, *in* nepotibus, atque *in* pronepotibus. Nonne conſtantia noſtra praeferenda videtur vulgari inconſtantiae, quae verbis Dei ſucceſſionem temporis temere infert? Illa עַל — עַל — עַל vertit: *in* — *ad* —

*usque*;

*) LXX. Exod. XX, 5. ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς τοῖς μισοῦσί με. Exod. XXXIV, 7. ἐπάγων ἀνομίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἐπὶ τέκνα τέκνων, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεάν. Deut. V, 9. ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν κ. τ. λ. Primo loco male: ἐπὶ — ἕως. Secundo et tertio recte: ἐπὶ — ἐπὶ — ἐπὶ —

*usque*; haec nostra: *in — in — in*. Tum mutat illa לְאַלְפִּים in לְאֶלֶף דּוֹר; nostra vero *millia hominum* cum *generatione millesima* non confundit. Quaenam vero praeferenda est interpretatio? Num illa, quae a verbis recedit, an ea, quae verba tenet? —

E vulgari interpretatione in altero membro, quod promissionem beneficiorum continet, majorum probitatis non minus ratio habenda est, quam in poenarum denunciatione majorum improbitatis, quamquam majorum probitatis nulla plane mentio injicitur. Etsi tantum eorum laudatur pietas, quibus Deus beneficum se praebiturum esse promittit; tamen ex opinione vulgari addenda quoque est majorum pietas. Nos vero in verbis manemus, nec pietati posterorum pietatem majorum tanquam sociam adjungimus, caussamque afferre possumus, ob quam adjungi non possit. Patres enim, avi et proavi eorum, quibus terram promissam vindicare sibi licuit, quales, quaeso, fuerunt homines? Num pii, Ihovae amantes ejusque praecepta servantes? Nullo pacto: imo plerique impii homines, idololatrae, sceleribus variisque peccatis contaminati. Omnes enim, qui gravissime adversus Deum peccaverint, in solitudine periisse, veterumque superstitem mansisse neminem, praeter Calebum et Iosuam, viros pios, ex historia Mosaica satis constat. Vid. v. c. Num. XXVI. 64, 65. Conf. Act. VII. 25 -- 28. 39 -- 43. unde perspicue intelligi potest, quales Israëlitarum, terram promissam occupantium, fuerint progenitores, patres, avi et proavi, et quare Deus, qui in denuncianda poena impietatem parentum, avorum et proavorum respexerit, in beneficio promittendo parentum, avorum

et

et proavorum nullam fecerit mentionem. Quaenam igitur probatur ratio? Illane, quae temere mutat, temere addit, an haec, quae, uti nihil detrahit, ita nihil quoque mutat, aut addit? — Deinde etiam parallelismus membrorum vulgari explicationi minus favet, quam noſtrae. Nam ſecundum illam Deus puniens ad quartam usque; benefaciens ad milleſimam usque generationem progreditur. Quae, quaeſo, haec eſt ratio! Quanta diverſitas! Sed ſecundum noſtram Deus puniens expellit et occidit liberos, nepotes ac pronepotes impios i. e. plura impiorum Palaeſtinorum millia; Deus benefaciens introducit et fortunat plura piorum Iſraëlitarum millia. Impios Palaeſtinos punit (impios, inquam; piis enim pepercit v. c. Rahabae ejusque genti Ioſ. II, 9 -- 11. quae quidem Rahaba populo Dei adſcripta et digna adeo habita eſt, cujus nomen genealogiae Chriſti inſerereretur, item Gibeonitis, Ioſ. IX, 24 -- 26); pios Iſraëlitas beneficiis mactat. Punit plura millia; benefacit pluribus millibus. Nonne haec ſibi ex aſſe reſpondent? — Haec igitur de *textu*.

Iam conſideremus etiam *contextum*. Quo quidem conſiderato, facile patebit, cur Deus hanc poenae denunciationem, ac beneficii promiſſionem Decalogo non ſubjunxerit, ſed primis ejus praeceptis adjunxerit. Quid enim continent illa praecepta? Nonne doctrinam de uno vero Deo eoque ſolo colendo, de vitanda idololatria ac veneratione imaginum omnis generis ſuperſtitioſa? Quaenam igitur eſt impietas, de qua ita ſtatim loquitur, cuive poenam denunciat? Num improbitas univerſa,

versa, talis etiam, quae in Dei veri cultoribus reperitur? Nonne potius idololatria nominatim, quae omnis generis peccata et scelera parit, sibique adjuncta habet? Cur, quaeso, Deus se appellat *Deum socii impatientem?* Nonne eo consilio, ut significet, se idololatriam impunitam non semper ferre posse? Cur *Deum Israëlitarum?* Cur *Ihovam?* Cur statim ab initio mentionem facit eductionis ex Aegypto? Nonne omnibus hisce loquendi modis Israëlitas eo ducere voluit, ut cogitarent quoque de terra promissa, ejusque incolis ob idololatriam, quam impunitam diutius ferre non posset, removendis ac tollendis? Nonne igitur pro contextu talis impietas cogitanda est, qualis fuit in Palaestinis mox puniendis? Non quidem nego, Deum hoc ipso etiam loco poenam denunciare impiis Israëlitis, idololatriam et scelera gentium imitantibus ac varia peccata committentibus, quam poenam omnes veterum, ipsum etiam Mosen, quamvis pium, praeter Calebum et Iosuam, expertos esse constat. Hoc tantum volo, hanc denunciationem poenae non quaerendam esse in membro priori, in quo poena κατὰ τὸ ῥητὸν denuncietur impiis Palaestinis, sed in posteriori, in quo κατὰ τὸ ῥητὸν beneficium nonnisi piis Israëlitis promittatur, ac proinde κατὰ τὴν διάνοιαν impiis poena denuncietur.

Restat, ut etiam in subsidium vocemus *analogiam*, seu aliorum locorum consensum. Evolvamus igitur Gen. XV, 13 -- 20. qui locus ita vertitur: „*Scito* (sic Ihova Abrahamum alloquitur), *posteros tuos peregrinaturos esse in terra aliena, ejusque incolis servituros esse, misere*

*adfli-*

*adflictos: quae omnia complectentur spatium quadringentorum annorum.* (Nimirum hos annos non servitus Aegyptiaca explevit, quippe quae post obitum Iosephi et fratrum Israëlitas premere coepit, sed omnis Abrahami posterorum peregrinatio et servitus simul. *Dathius* igitur in versione post *affligent* certe Comma ponere debebat, ne verba: *per quadringentos annos* ad solam servitutem referri viderentur.) *Ego nimirum puniam istam gentem, cujus servituti erunt subjecti:* postea *emigrabunt magnis divitiis instructi. Tu quidem tranquille in progenitorum tuorum societatem venies, in summa senectute supultus. Posteri vero generationis demum quartae huc redibunt* (bene tenenda sunt haec et proxima verba): *nam impietas* (עָוֺן, idem verbum, quod nostro loco reperitur, eadem impietas, cui nostro loco poenam denunciat) *Amoritarum nondum expleta est* (vel cum *Dathio: ad summam pervenit*). — — *Tum Ihova Abrahamo sancte promisit, se posteris ejus traditurum esse illam terram, a flumine Aegypti usque ad Euphratem, flumen magnum, pertinentem, et complectentem Cenitas, Cenisitas, Cadmonitas, Chittitas, Pherissitas, Rephaitas, Amoritas, Cananitas, Girgaschitas, et Iebusitas.*"

Duo potissimum in hoc loco spectanda, atque ad nostrum, quem egregie illustrant, transferenda sunt: primum quidem, quod quarta demum generatio Israëlitarum in terram promissam ventura dicatur; alterum, quod Amoritarum nominatim impietatis mentio fiat. Quod ad quartam illam generationem, cui Palaestinae possessio promittitur, attinet; ratio non ducenda est ab Abrahamo (ab eo enim usque ad Palaestinae occupationem

 tionem

tionem *octo* numerantur generationes, ſic, ut Abrahamus ſit *prima*, Iſaacus *ſecunda*, Iacobus *tertia*, Levi, filius Iacobi, *quarta*, Cehadus, filius Levi, *quinta*, (Gen. XLVI, 11.) Amramus, filius Cehadi, *ſexta*, (Exod. VI, 18.) Aaron, Amrami filius, Moſis frater, *ſeptima*, (Exod. VI, 20.) Eleaſar denique, Aaronis filius, qui terram promiſſam ingreſſus eſt, *octava*); ſed a Cehado, filio Levi, terram Agypti ingreſſo, ſic, ut Cehadus ſit generatio *prima*, Amramus *ſecunda*, Aaron *tertia*, Eleaſar denique *quarta*, et terminus a quo, qui dicitur, conſtituatur ſervitus Iſraëlitarum in Aegypto, quae poſt obitum Ioſephi initium cepit, terminus vero ad quem ingreſſus in Palaeſtinam: quod poſtulat nexus cum v. 14, 15.

Cum igitur plura illa millia Iſraëlitarum, quos Deus ſecundum promiſſionem, Abrahamo jam datam in Palaeſtinam induxerit, pro illa ipſa generatione *quarta* habenda ſint, cui occupatio Palaeſtinae fuerit promiſſa: facile intelligitur, quare Deus impiis Palaeſtinis poenam denuncians non quintae, ſextae, ſeptimae et octavae generationis mentionem fecerit, ſed in quarta ſubſtiterit. Reſpexit nimirum illam promiſſionem, Abrahamo datam, de generatione Iſraëlitarum *quarta*, Palaeſtinam ingreſſura, in qua ſimul denunciatio poenae latet generationi Palaeſtinorum, Amoritarum aliorumque populorum *quartae* infligendae, ducta ratione ab initio ſervitutis Iſraëlitarum in Aegypto. — Quod vero Deus quartae generationi Iſraëlitarum Palaeſtinae occupationem promittens impietatis Amoritarum nominatim mentionem facit, id, quare fiat, hiſtoria docet. Amoritae

primi

primi expellendi erant, primi etiam expulſi ſunt. Exod. XXIII, 23. Num. XXI, 21 -- 26. Iam Abrahami tempore fuerunt impii homines, ſceleſti Deorum cultores, digni poena divina. Sed placuit longanimitati Dei, per quadringentos annos eorum impietatem tolerare. Quibus praeterlapſis, poſteros illorum poſterorum Abrahami interventu punivit, eaque ipſa poena palam fecit, ſe veterum Amoritarum impietatem non minus poena dignam judicaſſe, nec velut animo aequo, ſed ſapienter tantum impunitam tuliſſe.

Quae omnia ſi quis collegerit, atque apud animum recte perpenderit; non vereor, ne hiſtoricam noſtram interpretationem idoneis carere dicat rationibus. Sed obſtat fortaſſe locus Deut. VII, 9. 10. ubi hoc dicitur: „*Scito, Ihovam, Deum tuum, eſſe verum Deum, Deum promiſſis ſtantem, qui ſervet foedus, ſeque beneficum exhibeat ſui amantibus ſuaque praecepta ſervantibus*, לְאֶלֶף דּוֹר (vulgo: ad milleſimam usque generationem); *qui vero etiam rependat ſui oſoribus iratus, perdendo eos, qui non differat poenam ſui oſoribus, immo iratus iis rependat.*“ Nonne Moſes ipſe h. l. explicat לַאֲלָפִים per לְאֶלֶף דּוֹר? Nonne igitur ipſe ſignificat, illa verba Dei de beneficentia ſucceſſiva ac perpetua intelligenda eſſe? Nullo modo. Accipe, quaeſo, rationes:

1) Si vel maxime concederem, לְאֶלֶף דּוֹר vertenda eſſe: *ad milleſimam usque generationem;* tamen noſtra interpretatio, hiſtorica illa, ſalva maneret. Nam a) Moſes

 ſes

ſes noſtrum locum reſpicit quidem, attamen Deum non loquentem inducit, nec ipſa verba, quibus uſus erat, uſurpat. Contra noſtro loco et duobus aliis Exod. XXXIV, 6. 7. et Deut. V. 9. ipſum Deum loquentem facit, ita, ut in omnibus illis locis לַאֲלָפִים legatur, ne ſemel quidem לְאֶלֶף דּוֹר. Lutherus ſemel *recte* vertit Exod. XX, 5. 6. *an vielen Tauſenden*, ſemel *minus recte* Deut. V, 9. *in viel Tauſend*, ſemel *male* Exod. XXXIV, 6. 7. *in tauſend Glied* *). b) Moſes h. l. milleſimam generationem non opponit generationi tertiae et quartae. Non magis igitur ſequitur, לְאֶלֶף דּוֹר ſignificare idem, quod לַאֲלָפִים, quam e collatione Marc. V, 35. (ubi aliqui Iairum de morte filiae certiorem feciſſe narrantur) cum Luc. VIII. 49. (ubi unius mentio fit) ſequitur, *aliquos* ſignificare *unum*. c) Quidni potuiſſet Moſes verbis Dei, ſalva noſtra interpretatione, adjungere hoc, Deum non tantum piis Iſraelitis, Palaeſtinam occupantibus, ſed in poſterum quoque omnibus piis, quotquot numero futuri eſſent, beneficum ſe exhibere velle? Vertas igitur, ſi placet, hoc loco: *ad milleſimam usque generationem* h. e. in omne tempus, quo futuri ſint pii Ihovae cultores; tamen noſtra noſtri loci interpretatio hiſtorica vera manet.

2) Eſſe autem verba לְאֶלֶף דּוֹר vertenda: *ad milleſimam usque generationem*, concedere non poſſum. Nam a) ל h. l. eſt nota Dativi, quod ex antecedentibus, quibuscum

*) LXX. Exod. XX, 5. 6. ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με κ. τ. λ. Deut. V, 9. eodem modo vertunt, nec non Exod. XXXIV, 7.

buscum arctissime cohaeret, luculenter patet: *amantibus* — *servantibus* b) אלף non significat *millesimum*, sed *mille* c) in membro altero non sermo est de poena succedente, posteris impiis infligenda, sed de poena imminente, nec differenda. Quemadmodum igitur poena imminens, nec differenda ad Palaestinae incolas referenda est: ita beneficium promissum ad Israëlitas, Palaestinam occupantes, pertineat, necesse est. Non igitur verto: *ad millesimam usque generationem*; sed *mille generationibus* i. e. *mille gentibus*, *mille familiis* scil. Israëlitarum. Quemadmodum מְאַת שָׁנָה non significat *centesimum annum*, sed *annos centum*: ita אֶלֶף דּוֹר non significat *millesimam generationem*, sed *mille generationes* *). Singularis, ut sexcenties pro Plurali, שָׁנָה pro שָׁנִים, דוֹר pro דֹּרוֹת. Deus dicit, se benefacere velle *pluribus* piorum Israëlitarum *millibus*, tribus in locis; Moses h. l. Deum benefacere velle dicit *mille* piorum Israëlitarum *generationibus*. Vbi igitur est pugna? Nonne plane idem est? Sed hic locus nostrae interpretationi historicae non tantum contrarius non est, sed maxime etiam favet, eamque valde adjuvat. Moses enim Deum dicit promissis stantem. Quidnam vero Abrahamo promiserat? Nonne liberationem posterorum ab Aegyptiaca servitute, et inductionem in Palaestinam? Deinde Deum poenam constitutam ac denunciatam differre negat. Nonne vero Deum impiis Palaestinis poenam denunciasse, ejusque tempus constituisse, ex loco Genescos, supra explicato, constat? Nonne

*) LXX. εἰς χιλίας γενεάς.

Nonne Abrahamo professus erat, se Amoritarum ac caeterorum populorum impietatem nonnisi per quadringentos annos tolerare velle? Recte itaque Moses dicit, Deum poenam definitam non differre, sed esse jam in eo, ut, praeterlapsis illis quadringentis annis, Palaestinos poena iam olim denunciata afficiat. Quibus omnibus pertractatis, e scholae consuetudine, ita argumentor:

*Quaecunque loci alicujus interpretatio textui, contextui et analogiae vel unice, vel maxime certe consentanea est, ea reliquis praeferri, ac pro vera haberi debet.*

*Iam vero nostram nostri loci interpretationem talem esse, sumere liceat.*

*Ergo etiam concludere.*

# VIRO PRAECLARISSIMO
## HVMANISSIMO DOCTISSIMO
## CANDIDATO REVERENDI MINISTERII
### DIGNISSIMO PRAENOBILISSIMO
### *HVIVS DISPVTATIONIS*
## AVCTORI
S.
## PRAESES.

Cogitanti mihi, *Vir Praeclarissime*, de iis, quae, partim consuetudinis, partim officii caussa, litteris communicanda *Tecum* viderentur, tanta rerum offusa est multitudo, vt, si omnes perscribere vellem, epistolae angustiis continere eas non liceret. Dilectus igitur faciendus erat: in quo ipso propter virtutum *Tuarum* copiam et excellentiam non parum sensi difficultatis. Saepenumero fieri solet, vt, quae est magistrorum prudentia, paullo liberalius laudemus, quem cohortari volumus. Quamquam vero non negauerim, *Tibi* quoque, *Vir Humanissime*, quamuis in doctrinae virtutisque studio multum sis progressus, pro imbecillitate omnibus hominibus, vel sapientissimis optimisque, communi, cohortationem ad constanter in illo studio pergendum esse posse vtilissimam atque adeo necessariam; noli tamen ea, quae honorificentissime de *Te* judicauerim, in illam partem interpretari, et pro cohortatione potius, quam laudatione a veri studio profecta accipere. Placuerunt autem mihi, virtutes *Tuas* perlustranti, si ingenue fateri licet,

 in

in primis diligentia *Tua* plane singularis, modestia *Tibi* quasi propria, dicendi ac disputandi grauitas, interpretandi denique subtilitas. Quae quidem virtutes cum tantae mihi arriderent, vt paucos commilitonum pares videreris habere, superiorem neminem: *societati* meae *philobiblicae*, ad quam aditus non patet, nisi lectissimis ornatissimisque viris, *Te* adscribere, nullus plane dubitaui.

Ac diligentiam *Tuam* quod attinet, hoc est, illam virtutem, qua caues, ne quid in minimis peccetur; satis eam variis perspexi modis. E pluribus exemplis, quae parata habeo, vnum certe proferre liceat, quamuis videatur leue. Accurate solitus es seruare tempus, cum *Tibi* vlla de caussa ad me veniendum esset, non solum diem, verum etiam horam, atque adeo ipsum temporis punctum. Qua quidem ex consuetudine, rariore profecto, non temere collegisse mihi videor, maximi *Te* facere temporis vsuram, atque *Melanctonis* imitari rationem, quem vulgarem negligentiam, quae vel temporis partes non accurate describat, vel accurate descriptas non curet, molestissime tulisse, *Camerarius* narrat.

Huic tali diligentiae adjungendam putaui modestiam, quae *Tibi* ab ipsa natura insita videtur, ratione vero ita culta est, vt facie, vultu, omnique corporis habitu ac motu expressa reperiatur. Bene agitur cum plerisque litterarum cultoribus, sapientia nempe sua inflatis, si sensim modestius de se sentire incipiant, et, cum primo anno academico *Doctores* sibi videantur esse, secundo anno ad *Licentiati*, tertio ad *Baccalaurei* Gradum descendant, et quarto tandem *Studiosos* se esse intelligant. Qui enim quarto etiam anno academico cognitione sua qualicunque superbiunt, et magistris adeo se multo superiores esse opinantur, isti, periculum est, vt vnquam sapere discant. Quam sententiae mutandae necessitatem in *Te* nunquam locum habuisse scio. Quamquam enim a primo inde tempore, quo in hac Academia litteras coluisti, saepissime mihi data est occasio, explorandi profectus

*Tuos,*

*Tuos*, mores, ſenſus; nunquam tamen *Te* vulgari iſta ſtultitia laborare deprehendi, immo magna ſemper cum voluptate cognoui modeſtiam *Tuam*, mirabiles excitantem amores.

Quae tanto majoris eſt aeſtimanda, quanto exquiſitior eſt et amplior *Tua* doctrina, *Vir Doctiſſime*, dicendi nominatim ac diſputandi grauitas, quam, neſcio, an ab *Hillero*, auo *Tuo*, rebus humanis nuper exemto, (*quem accuratae atque ſubtilis ſcribendi diſputandique rationis magiſtrum, recentiorisque barbariei pertinacem aduerſarium laudari, ego quidem non moleſte memini*) haereditate traditam acceperis. Saepius audiui *Te*, cum pro concione chriſtiana verba faceres, atque coram commilitonibus, quae in diſceptationem venirent, diſquireres. Vtramque vero facultatem egregie mihi probaſti. Dicens non nugaris, veluti loquaces et vocales, qui *ζήλῳ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, σκιαμαχίᾳ, μονοτονίᾳ, ἰσοτονίᾳ* eruditas obtundunt aures, eademque chorda ad riſum aut contemtum vsque vna contentione ac celeritate oberrant. Diſputans non jactitas volubilitatem linguae, (quamquam nec ipſe ea careas, ac, eadem ſi ſis vanitate, vti poſſis non minus) veluti blaterones et garruli, de ſe magnificentius paullo ſentientes, qui glorioIam, neſcio quam, venantur, et ſtrepitu prope anſerino imperitis terrorem incutere conantur, omninoque ita ſe tractant, vt effutire ac diſputare, blaterare ac philoſophari iſtis videatur eſſe vnum idemque. Grauem *Te* praeſtas in vtroque genere virum, non hominem leuem.

Nouiſſime etiam interpretandi ſubtilitatem in praecipuis *Tuis* virtutibus ponendam duxi, cujus in ſcholis *philobiblicis* multa mihi dediſti ſpecimina, quamue hoc ipſo libello *Tuo*, quo hiſtoricam eamque *nouam* vexatiſſimi loci interpretationem ad diſceptandum propoſuiſti, vti quidem ego ſentio, luculenter feciſti teſtatam.

Quae omnia cum veriſſime a me dicta ſint, ac nuperrime judicio ſenatus eccleſiaſtici ſummi, eoque non honorifico, ſed honorificentiſſimo, rariſ-

ſimo

*ſimo* illo, comprobata et confirmat
*Te*, talem filium *Patri Venerando*, *M*
tum, *Hennigio*, *ICtiſſimo*, *pluribus*
lum, *praeceptoribus*, in quibus aliq
contigit, gratuler quam maxime. E
hoc tamen praedicere recte mihi po
qualem adhuc *Te* geſſeris, doctrina
manebis autem, qui *Tuus* eſt ſapie
accipias praemia, neque orneris
grauiſſima. Faxit Deus feliciter! D
me, qui ingratis etiam minusue dig
miſeriae eorum ſenſu commotus,
gratiſſimo ac digniſſimo, omnibus,
futurum eſſe lubentiſſime. Noſti,
pleniſſimum, a vanitate alieniſſim
vulgo nobilitatos, modo ne volunt
aliis aliquid poſſe. Nec denique T
maleuolorum, atque impedimentis
eam. — Ita vale, diſciplinae noſt
nominatim, memoriam ſubinde re
gae Id. Nouemb. cIↃIↃccxc.

: confirmata: habeo profecto, *Wegnere mi*, quod
*nerando, Meritissimo, Doctissimo, Te*, talem cogna-
, *pluribus de caussis suspiciendo*, *Te*, talem discipu-
quibus aliquem locum, vel vltimum, mihi occupare
maxime. Etsi mihi non sumo diuinandi facultatem;
cte mihi posse videor, fore, vt, si talis permaneas,
s, doctrinae virtutisque cultor haud vulgaris, (per-
*us* est sapientiae ac honestatis amor), haud vulgaria
e orneris muneribus, sed ornes munera, eaque
feliciter! De cetero *Tibi*, velim, habeas persuasum,
ninusue dignis beneuolentiam, operam ac studium,
ommotus, non denegare cousueuerim, *Tibi*, longe
omnibus, quibuscunque possim, modis adjumento
e. Nosti, spero, animum meum, turpis lucri odio
e alienissimum. Non ignoras, viros etiam parum
ne voluntas desit studiique alacritas, commodare
denique *Te* praeterit, me adeo nihil frangi injuriis
npedimentis a malitia objectis, vt contra audentior
plinae nostrae et societatum nostrarum, *philobiblicae*
subinde recolens, meique amans. Scripsi Viteber-
cxc.